DEO OPT. MAX. UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM DIE JOVIS XVII. NOVEMBRIS.

M. ANTONIO DE SAINCT-YON, Doctore Medico, Præside.

An nothi ingeniosiores?

HOMO constat ex corpore & anima: illud ita figuratum est, ut excellat aliis; hæc ita constituta, ut & sensibus instructa sit, & habeat præstantiam mentis, in qua sit mirabilis vis quædam rationis, & cognitionis, & scientiæ, virtutumque omnium. utriusque colligatio plena est miraculi, nullâ, quam firma duorum copula exigere necessario solet, interjectâ substantiæ affinitate; fingi tamen potest aliqua, sed obscurior; namque ut in malis attingit animi naturam corporis similitudo: sic & in bonis. sunt in corpore præcipua, pulchritudo, vires, valetudo, firmitas, velocitas: sunt item in animo: corporis temperatio est, cum ea congruunt inter se ex quibus constamus, sanitas sic animi dicitur, cum ejus judicia opinionesque concordant, eaque animi est virtus: & ut corporis est quædam apta figura membrorum cum coloris suavitate, quæ pulchritudo dicitur; ita etiam in animo opinionum judiciorumque æquabilitas & constantia cum firmitate quadam & stabilitate, virtutis vim ipsam continens, pulchritudo vocatur. Mentis, quæ pars est animæ princeps, duo sunt virtutum genera. Unum earum quæ in voluntate positæ sunt quarum excellens est in animorum laude præstantia, suntque prudentia, justitia, fortitudo, temperantia. Alterum earum quæ ingenerantur suaptè naturâ, suntque non voluntariæ, docilitas, memoria, intellectus, ingenium. Quemadmodum velocitas est corporis, celeritas dicta; eadem etiam ingenij laus habetur, propter animi multarum rerum brevi tempore percursionem: injurij profecto sunt in hominem qui ingenium vel Deum, quo quasi obstetricante ad intelligendum simul arbitrati, vel genium aliquem unicuique nostrum tanquam nauclerum navi gubernandæ presentem, vel vim à cælo dilapsam, ex qua ut lumen à sole manet cogitatio. Nemo est qui non illud sibi à natura concessum ingenitumque sentiat, ejusque sese tam participem, ut rarus sit qui alteri eò cedere voluerit. Est namque vis animæ insita quâ cito & facile abstrusa quæque, cognituque difficilia percipit, eligit ac discernit quod bonum est, rationesque & auxilia quibus scopum finemve consequatur, illico excogitat; cui si accesserint docilitas & memoria, tum demum egregium præstantissimumque erit ingenium.

QUID interest inter mentes hominum & cogitationes! tanta varietas est, tamque dissimilis facies ingeniorum, quanta vultuum atque capitum. Sunt quædam plebeia, quæ in augustas damnata cogitationes, nihil generosum sapiunt atque magnificum: sunt futilia, quæ rimarum plena, hac atque illac perfluunt, unâ levitate constantia: sunt pinguia, ad cogitandum hebetia, ad capiendas disciplinas, nisi improbis laboribus exanthlatis, incommoda, quibus finitima, tortuosa, quæ de recta rationis regione & viâ nunquam non deflectunt, quæque suis implicata vestigiis, hærent adeo sese vix ut expedire queant. Invenias extemporaneæ subtilitatis, quæ paratam habent in omne argumentorum genus, aciem; primo tamen impetu obstupescentem. Reperias gravia, robusta, valentia, singulari solertia & acri judicio prædita, quæ in arduis versata negotiis breviter hæc conficiunt. Non desunt tempetata, quæ si ad aliquod studium sese adjunxerint nihil egregie præter cætera, sed tamen omnia mediocriter faciunt, ad cultum humanitatis & bonarum artium satis apposita: sunt denique prope divina, in quibus summa sunt omnia, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo, quantum potest cogitari, maximum; tam ad inveniendum prompta, quam ad judicandum acuta: sic homo homini multum præstat, stultoque intelligens quam maxime interest. Nihil discriminis est inter animos, quos cum major aliqua causa atque divinior creaverit; pares sunt origine, nobilitate, agendique ratione. Tanta tamque ingens intercapedo unius est corporis ex meliore deterioreve luto ficti, cui quamdiu mens alligata est, pulcherrime nequit sua obire munia, corpore semper aliquid ipsi affricante. Ignis sui ubique similis materiæ accensæ, vires sic sæpe sequitur, ut à se multum discrepet motu, luce, calore, comburendi potestate: haud dispar est animæ, quousque corporis custodia tenetur, conditio: hinc cum illo quasi crescere pariterque senescere videtur; afficitur imprimis temperie & conformatione, omnium quidem partium, maxime vero cerebri, quod custos est, mentisque dominus. Hoc uno sapit homo aut insanit, ingenio est felici, vel misero. Ingeniosiores quibus obtigit amplum, calidum siccum, non nihil tamen humidum, tenuioris potius quam crassioris substantiæ, tarioris quam densioris, omnis generis ductibus neque angustioribus neque laxioribus pervium, excipiendis spiritibus, perficiendis, emittendis halitibus, humorumque reliquiis peridoneum; quod alluat non cujuslibet sanguinis rivulus, sed puri, calidi, placide appellentis, qui majorem partem in spiritus purgatissimos, tenues, siccos, perlucidos vertatur; cujusmodi sunt *μοναυκάρκαι* ex bilioso temperatoque sanguine geniti.

FORTUNATIORES sane liberi, quibus gignendis venus ipsa præsidet, cujus lepore atque illecebris capti conjuges, errantes animas ita transfundunt ut nihil valeant nisi lætum & amabile quidquam ex sese producere: virum mulieri dedit vel amor, vel lex consuetudoque patriæ: qui ex illo nascuntur conjugio pueri, quod iis pater incertus sit, spurij, *ἀσάνορες* audiunt, nothi dumtaxat ex hominum instituto, quippe quibus gignendis longe sæpius majori naturæ impulsu, quam justâ uxore natis impenditur opera; maritali connubio, quod comparatum est ut jucundissima simul & utilissima vitæ societas iniretur, plerumque desunt, quæ prolem beare nata sunt lenocinia: desunt veneris harmoniæ, adeo frequenter formæ impares atque animi, fævo cum joco sub jugum veniunt, placidis junguntur immitia, agni geminantur tigribus; nunc quæ pro more hominum solito, nuptiæ non tam matrimonij dignitate, quam avaritiæ societate conglutinantur? Haud infrequenter amoris satietas & fastidium, consuetudinis comes, virum mulieremque non solum ignaviores reddunt, sed etiam deterrent ab officio: assiduus alieni fundi cultus, familiarem incultum relinquit, vel quemadmodum idem semen sibi semper credidum tellus negligit & repudiat; itidem uterus naturæ arvus & favissa generis humani, nunquam tam avide genitalem succum cui assuescit amplexus, non raro sobolem dat tum corpore, tum animo vitiosam. Ubi vero mulier corpore solido, succi pleno, quam jocus & cupido circumvolat, undique quoquoversum amorem jactans, nitore, grata protervitate, munditiis, vultu non adeo modesto, sed venusto ut nihil supra, Pamphilum aliquem urit, in quem subito tota ruit venus, nihil ut pensi habeat dum sua glycerio vel vi vel clam vel pretio potiatur, occasionemque tam vehementer optatam reperit; fieri non potest, quin inde dulcissimum amoris pignus, perfectum, elegans, elaboratumque prodeat.

OMNIBUS ex animi perturbationibus est profecto nulla vehementior libidine, voluptatis, quæ incredibilis existimatur, percipiendæ, longe potius quam immortalitatis comparandæ, cogitatione accensâ. Ex hac contingit adeo homines immitari, ut eosdem esse neque quidem cognoveris: senibus juvenilem animum: vietis corporibus alacritatem affert; stupidis sensum, agrestibus elegantiam, feris lenitatem. Non solum ubi triumphat, hæc præstat miracula, sed & res extrinsecus positas ad quas sese applicat, gratissimo errore alias omnino ac sint exhibet: nihil plus salis plusque leporis habet, suo quippe condimento quidvis placiturum est, fel quod est amarum, id mel efficitur; quod turpe pulchrum, quod deforme perfectum. Scilicet forma, quam altius impressam cerebro gerit amore captus, suâ venustate sic fucum facit, ut quidquid menti occurrit, pulchre concinnatum videatur, quo seu pabulo multo actius urit, corpusque exagitat. Qualibet commotione certus in mole sanguinis succus effervescens, modo huc, modo illuc, modo in altum, modo in extremum corpus truditur: irâ igneus humor: tristitiâ terreus; metu frigidior, & aquæ naturam redolens: cupidine pinguior, purior, generationi petagendæ aptior, intestinâ spirituum agitatione secernitur, optimo naturæ consilio ad partes genitales impellendus, ibique spirituum subtilientium uberiore concursu, vertitur in semen nullâ conditione defectum, imo nobiliore præditum effectione. Quod si tum veneream voluptatem furtim expleant vir mulierque amore implicati, eò feliciores sunt in prole propaganda, quo magis mutuo ardore conspirant, & communia quærentes gaudia, robustamque voluptatem, conantur penetrare abireque in corpus toto corpore: quibus mutuo ambitu alligatis, tum largo semine, vividiorem secum ignem raptu quodam deferente, gravida redditur mulier, perfectiorque fit animarum mixtura. Satius enim est, longeque utilius nascituris, virum habere mentem in opere, quam in aliâ re occupatam, fœminamque amore furere? Cur heroum filij noxæ, quod anima in meditatione tota, quidquid nobilioris est caloris rapiens, fœtus genium defraudet: in eo quidem infeliciores, furtivo concubitu natis, quibus efficiendis & ratio & natura pari studio incumbunt: quidquid melioris est sanguinis, vis in semine residens alacrior reddita, trahit ad fingendum corpus: partes primariæ multo calore vitali, insitoque spiritu ac humore primigenio plenæ, reliquis gratiam aspirant; totaque hominis œconomia suis omnibus numeris est absoluta.

BENE conveniunt & in unâ sede morantur pulchritudo corporis & ingenij; sanitas & intelligentia, utriusque robur & firmitas. Nothorum *ἀνεπιτήδειοι* ad intelligendum & agendum, ad quas res nascimur aptiores reddit. Hos voluit venus omnibus ornatos dotibus excellere, nobiliores gerere spiritus, sensus habere acerrimos, cæteros ingenij abundantiâ, acrimoniâ, cogitationis robore, celeritate, nitore, elegantiâ longo post se intervallo relinquere. Si ad disciplinas animum appulerint, facile fiunt primarum artium principes, rerum naturas penetrando, aperiendo, dividendo, si ad negotia vitæ utilia, quâ valent solertiâ industriâ, audaciâ, pene omnia expediunt; ferunt ut phœmiones alteri quodvis oneris sibi impositum, vafro versutoque animo mille vias rei faciendæ reperiunt, in hominum societate atque commercio, nescio quâ agendi venustate omnium oculos & benevolentiam ad se capiunt; quidquid egerint, faustum felicemque exitum habet: ut quædam, ad amplitudinem & gloriam & ad res magnas bene gerendas, fortuna iis divinitus adjuncta esse videatur.

Ergo nothi ingeniosiores.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Antonius le Moine.
M. Guido Crescentius Fagon, Familiæ Regiæ Medicus ordinarius.
M. Iacobus de Bourges.
M. Petrus Legier.
M. Nicolaus Robin.
M. Franciscus Sorand.
M. Franciscus le Vignon.
M. Petrus Legier.
M. Claudius Germain.

Proponebat Lutetiæ NICOLAUS RAVEAU, Villonixus, A. R. S. H. 1672.